

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ...)

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

Beyschlag, Friedrich Jakob

Halae Suevorum, M.DCC.XXIX

IV. Andreae Sam. Gesneri, Rectoris (*) Gymnasii Rotenburgensis ad Tubarim, Programma De nonnullis Bibliothecae Reipublicae Rotenburgensis memorabilibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16134

IV.

ANDREAE SAM. GESNERI,
Rectoris (*) Gymnasii Rotenbur-
gensis ad Tubarim,

PROGRAMMA

De nonnullis Bibliothecæ
Reipublicæ Rotenburgensis
memorabilibus.

PRæstantissima quæque veterum recen-
tiorumque scriptorum monumenta di-
ligenter colligi, atque ad communem ho-
minum studiosorum usum destinari, & ve-
hementer utile, & , pro locorum tempo-
rumque conditione, plane necessarium in-
terdum

Aaa 4

terdum

(*) Huius viri doctissimi, qui frater est illius
GESNERI, qui Vinariam suam, imo orbem li-
teratum, tantopere ornat, aliud Programma
laudavimus in Syllog. nostræ Fasc. I. p. 183. sqq.
Præsens eruditus non minus probatum iri,
iudicamus, etsi ille, qua est modestia, per
litteras nobis significavit, non eo consilio id
scriptum a se esse, ut ab omnibus legeretur.

terdum esse, nemo fortasse, qui universam rei litterariæ rationem æqua perpenderit lance, inficias iverit. Quot enim insignia prisce temporis volumina, quot egregii libri, quibus omnis ævi, omnium rerum pace belloque gestarum, omnium artium disciplinarumque, omnium magnorum virorum, continetur memoria, aut periissent omnino, aut peritura forent, nisi publica quædam custodia æternitatem illis daret? Quot eruditissimis hominibus, quot præclaris ac fructuosis ipsorum laboribus, orbi carendum esset, nisi multorum ingenia, quæ bonæ mentis soror paupertas premit, in Bibliothecis tanquam prytaneis alerentur. Nunquam Martinus Chemnitius, clarissimum illud Ecclesiæ nostræ fidus, nunquam Ianus Gruterus, nunquam Claudius Salmasius, celebratissima nomina, ut ex multis paucos memorem, ad tantam doctrinæ laudem, qua ille puriori fidelium cœtui, hi litterariæ reip. tantum profuerunt, fuissent perventuri, nisi Bibliothecarum publicarum præsidio potuissent uti. Neque ullo propemodum alio testimonio certius constat, publice magni fieri bonas artes, quam si necessaria his recte digneque tractandis supellex haud
parce

parce subministretur. Qua re excitari necesse est studiosæ adolescentiæ animos, ut præclare de litteris sentiant, & cupiditate quadam cognitionis atque doctrinæ incendantur, ac rerum argumentis revicti sciant, quemadmodum armamentaria instruuntur in civitatibus, ex quibus tela & arma, cum opus est, peti possint ad hostes repellendos, sic librarias haberi, barbariei insultibus, quæ ingeniis est infesta, avertendis compescendisque. Neque est ut eos hic audiamus, qui suos cuique libros, quos suo comparaverit ære, eosque paucos, sufficere debere existimant, ut Melanchthonem tribus quatuorve libris contentum fuisse, mendax fama vulgavit. Satis est ad bonam mentem, & ad communia vitæ civilis officia, aliquot bonæ notæ auctores ad manum habere: ad eruditionem vero comparandam, ad litteras docendas, ad religionem tuendam, ad publicum usum, ad reip. dignitatem, ad sæculi ornamentum, instructioribus opus est copiis: in hac præsertim doctrinæ luce, quæ, divino beneficio, meliorem orbis partem illustrat. Si quis veteres scriptores, quos Græcia pariter ac Latium tulit, tum eos, qui a sacris christianis alieni fuerunt, tum, qui

res atque doctrinam Ecclesiæ illustrarunt; si porro ex medio, & postremo nostroque ævo, vel præcipuos tantum, & qui talia tradunt, quæ apud alios frustra quæras, recensere instituat, eundo per omnia disciplinarum, sectarum, nationum genera: quantum quæso librorum copiam inveniet, non supervacaneorum, sed quibus divinæ omnis & humanæ sapientiæ studia carere nullo modo possint. Iam in hac tanta multitudine delectum instituamus, & excerpamus eos, quibus consulendis nemo, cui universum disciplinarum orbem lustrare animus est, quod sane ab iis, qui ultra vulgus sapere cupiunt, omnino faciendum, superledere potest, nam qui uni tantum arti, tanquam glebæ est adscriptus, neque liberaliori quodam sciendi desiderio movetur, cum paucis etiam rem suam gerere posse, non negamus, vel hi tamen numerum efficient satis amplum, ut ad eos comparandos paucorum facultates, ut plerumque in re tenui *Φιλομαθείς* esse solent, satis magnæ sint. Ac posteritatis etiam ratio habenda est, ad quam præclara virorum eruditorum opera, Bibliothecarum publicarum ope, commodissime transmittuntur.

Priva-

Privatorum enim libros ea plerumque fata manent, ut, ubi in secundi tertiive hæredis pervenerint manus, aut male dispergantur, aut thuris piperisque cuculli fiant; aut angulo aliquo abditi, a tineis, blattis, muribus, corrodantur, vel humore situque corrumpantur, aut tanquam fœnum a canibus custodiantur. Quod si vel maxime, ingenua possessorum, innoxiaque, liberalitate, uni alterive aditus ad eos concedatur, ad omnes tamen ex iis redundare utilitatem, & publici usus eos fieri, res ipsa non sinit.

Exempla si quem magis forte quam ratio moveant, oculos per cultiorem Europam circumferat, & hanc semper curarum publicarum partem, a maximis sapientissimisque populorum rectoribus, fuisse habitam deprehendet, ut Vrbes, Academiæ, Scholæ, ornarentur Bibliothecis, quantum fieri posset, instructis, atque ad variæ eruditionis usum accommodatis, ad quas aditus pateret volentibus: quas nominatim commemorare huius loci atque propositi non est. Nostra etiam Resp cui nec optima instituta, nec prudentissimi Magistratus, unquam defuerunt, adornandam iam olim Bibliothecam suscepit, atque a tenui profectam

Etiam initio liberaliter auxit: quæ, ne obscuritate sua ipsa sibi obsit, sed in notitiam civium nostrorum, adolescentiæ præsertim studiosæ, perveniat, & fautores amicosque paret, arrepta hac publicæ scriptionis occasione, breviter de ea, quæ memoratu quidem digna videbuntur, exponam. De prima eius origine nihil habeo certi: id satis mihi compertum est, paullo ante finem sæculi XV. iam habuisse clerum urbis nostræ apparatus quendam librarium, cui legatis ac donationibus, sed non nisi singulorum voluminum, præter ea, quæ emta fuerunt, paullatim accessio quædam facta est. Non defuisse libros manuscriptos, tum alia quædam, tum trium quatuorve codicum reliquiæ suspicionem faciunt. Est in his chartæus, in fol. quo continentur 1. *Speculum B. Mariæ Virg.* i. e. CLXII. sermones in eius laudem. 2. *Distinctiones exemplorum novi & veteris Testamenti, abbreviatæ & reductæ ad diversas materias secundum ordinem alphabeti, per Fr. B. de Senis.* * 3. *Speculum humanæ salvationis,*

*Hic liber alias inscribitur AVREA BIBLIA, ut ex clausula patet. Typis etiam descriptus, latine & germanice, exstat. vid. Schelhornii V.Cl.

tionis, cuius singulae paginae rudibus ridiculisque figuris pictae sunt. Descriptus est totus codex una manu 1452. ** Alius codex, forma chartae in quatuor folia complicatae, complectitur. 1. *Directorium per Ioh. Aurebach, Doct. compositum, pro instructione simplicium Presbyterorum in cura animae.* 2. *Anonymi tractatum de arte moriendi.* 3. *Orationem ad Barones & Nobiles Bohemiae adversus Rokyzanam, Iohanne Capistrano,*
nisi

V. Cl. amoenit. litt. T. III. p. 142. Abstinentum esse Religiosis & Clericis ab esu carnum, ex eo probat auctor, „ quia uxor Ieroboami, „ vadens ad Achiam Prophetam, tulit panem, „ & mel, carnem vero non legitur attulisse, „ item, quia pulmentum & panes, sed non carnes, per Abacuk transmisit Dominus Danieli.

** Prima huius codicis pagina habet aliquot formulas absolvendi excommunicatos, in quarum una notatu digna sunt verba: „ restituo „ te innocentiae baptismali, „ Est & in eo libellus de conceptione Mariae Virg. item Casus papales & episcopales, i. e. enumeratio peccatorum, quorum venia a Papa & Episcopis petenda est: ex quibus apparet, nunquam Pontifices Ro difficiliore se in expiandis peccatoribus praebere, quam, ubi ipsorummet dignitas, opes, auctoritas, in contemptum discrimenve adduci videntur.

nisi fallor, auctore. Rokyzanæ epistolam ad Capistranum de colloquio Crumlovix habendo, & Capistrani ad hanc responsionem, scriptam anno 1452. *** 4. *Auream Bullam.* 5. De coronatione Friderici III. Imp. & Augustæ narrationem, non nisi quinque constantem foliis. **** *Index in D. Hieronymi opera, per Ioh. Teuschlinum Th. D. & Concionat. Rotenb. congestus, nondum editus, similis ei, quem idem Teuschlinus in Augustinum confecit, ac Norimb. 1517. fol. excudi curavit. ***** Accessit his anno 1621 codex Terentii manuscriptus, sed parum vetu-*

*** Reperiuntur hæ, ut ex dissertatione exasciata de Ioh. Rokyzana, quam Vir Celeb. Ioh. David. Kœlerus edidit, coniicio, apud Cochläum in Hist. Hussitarum.

**** Nondum editam putabat vir quidam Clarissimus, qui eam hic vidit. Saltem particulæ eius quædam leguntur in Sigism. a Bircken *Spiegel der Ehren* &c.

***** Huic indici orationem ad D. Augustinum præmisit Teuschlinus, in qua his verbis utitur: „Nescio finem meum, nescio si sim dignus amore vel odio, quare tremens & pavens quotidie mortem expecto, &c. Quæ quanquam ex sententia ecclesiæ pontificiæ scripsit,

vetustus, ex dono hæredum loh. Offneri, Viri
Consul. Inter impressos invenias satis anti-
quos, ex quibus, quænam typographiæ ali-
quanto post eius exortum facies, quæ in-
crementa fuerint, non sine voluptate, co-
gnosci potest. In horum numero sunt,
Psalterium germanicum, cum glossa, auctore
Lyra, ut habet præfatio, fol. min. *Augustinus
de civitate Dei*, cum commentariis sane bar-
baris & inficetis, fol. *Catena aurea s. continuum
in IV. Evangelia Tho. de Aquino*, fol. *Liber de
consolatione Theologia*, loh. de Tambaco, fol. Boë-
thii imitatione sic inscriptus, cæterum illi
valde dissimilis. *Cæsarii Heisterbacensis dialogus
miraculorum*, fol. min. *Didascalon Magistri Hu-
gonis*, fol. min. *Speculum morale Vincentii*, item
Speculum eius naturale, fol. mai. *Catholicon loh.
de Ianua*, fol. ***** *Disputatio inter Clericum*

&

scripsit, tamen rusticana seditione implicitus,
capite pœnas luit. Edidit quoque Diffinitio-
nes editionis Donati minoris, Lips. 1505. in 4.

***** Liber grammaticus, cuius maximam
partem Lexicon, partim verbale, partim rea-
le, ut vulgo loquuntur, occupat. Sæpe enim,
occasione unius vocabuli, locum e theologia
vel philosophia pertractat.

752 IV. Andr. Sam. Gesneri, Rect. Gymn. Rotenb.
Et militem, super potestate prelati ecclesie, at-
que principibus terrarum commissa, sub forma
dialogi, libellus facetus & mordax, in 8.
Innocentius de miseria humana conditionis, in
8. qui plerique in magna typorum rudita-
te, nitore tamen non carent, neque ullam
typographi, loci, temporisve mentionem
habent adiectam. Clementis V. Constitutiones,
Argentorati, 1471. per Henr. Eggestein. Con-
suetudines feudorum, ibid. per eund. 1472. In-
stitutiones Iustinian. cum Glossa, Mogunt. per
Petrum Schoyffer, 1472. Decretales Gregorii
IX. cum Glossa, 1473. ib. per eund. * Authen-
tica

* Subiecti sunt huic libro sex epigrammata, quo-
rum alterum inscribitur: „Apologia vel excu-
satio Cleri de ignorantia & carentia librorum,
cuius utriusque causam, auctor reiicit præ-
cipue in caritatem manuscriptorum, quæ
præterea plerumque sint mendosissima, &
longinquitatem Scholæ Parisiensis, tandem
sic concludit:

*Has ob res libros clerus non comparat, immo,
tantis pertæsus abstinet incommodis.*

*Et sic depascit pastor dum pascere nescit,
ductor seducit, nomen habens reducis.*

*Hinc erit ut populus, sic princeps, sicq; sacerdos,
quos ne fungantur, pelle sacerdotio.*

Tertium

Program. de memorabilibus Biblioth. Rotenb 753
tica, & tres libri postremi Codicis, cum Glossa,
1477. ib. per eund. Speculum aureum decem
præceptorum Fr. Henrici Herp, ibid. per eund.
1474. Speculum iudiciale Duranti, non cala-
mo, ut prisci quidem, nec penne tractu, quo ipsi
fruiuntur, verum exsculptis ere litteris, divino
suggesta Spiramine imprimendi arte transpi-
ctum — in celebri Argentinorum urbe, factori-
bus Ieorio Hussner, & Ioh. Bekenhub, Clerico
Moguntino, 1473. Hæc in calce leguntur.
Historia scholastica a Petro Comestoris edita, per
Tom. I. Fasc. IV. Bbb Gunthe-

Tertium est excusationis repulsio, & artis im-
pressoriæ commendatio, in quo paupertatem
prætexenti sic respondet:

Pauper es. & Iodex tibi pulchra. vorans quo-
que liber,

(i. e. concubina.)

te ditet codex, nil comedensque liber.

Postremum, quod est omnium maxime me-
morabile, de primorum artis magistrorum
typo, & Petri scil. Schoyfferi præconio, legi-
tur etiam in calce institutionum, & insertum
est a Cl. Schelhornio Amœnit. litt. To. IV. p.
303. In omnibus, quos commemoravi, a
Schoyffero excusis, Moguntia typographiæ
repertrix celebratur, quod si res secus se ha-
buisset, sine dubio Eggestein aut Hussner con-
tradixissent.

754 IV. Andr. Sam. Gesneri, Rect. Gymn. Rotenb.
Guntherum Zainer, 1473. Speculum Historiale
Vincentii Bellovac. 1474, sine mentione
loci & typographi. Rainerii Pantheologia
1474, Norimb. per Anton. Koburger. Summa
Galensis s. comuniloquium, Augusta per An-
ton. Sorg, 1475. Codex Iustinianus, Norimb.
iussu Andrea Frisner, Bunsidelensis, & Ioh. Sen-
senschmid, 1475. ** Fr. Hugonis opus de prato
florido intitulatum, per Ieorium Hufner, Argent.
1476. Iacobi lanuensis Legenda sanctorum, per
Ant. Koburger, Norimb. 1478. Summa Astexa-
ni de casibus, Colonia, 1479. Omeliarium, cum
prologo Karoli M. Spiræ, per Petrum Drach, iu-
niorem, 1482. fol. quam primam omnium
postillam credunt. Biblia germanica, per
Antonium Koburger, Norimb. 1483. fol. Histo-
riale Antonini, 1491. per A. Koburg. fol. Hart-
manni Schedelii Chronicon, Norimb. 1493. fol.
Revelationes Brigittæ, Lubecæ, 1492. fol. im-
pressit Barthol. Gothan. Eadem germanice,
Norimb. 1502, per Ant. Koburg. fol. Epistolæ Ci-
ceronis familiares cum comment. Hubertini Cre-
scent. & Martini Philetici, Lugduni, per Iac.
Zachon.

** In quo litteræ rubræ, item lineæ rubræ ver-
sibus subductæ, non sunt manu pictæ, ut tum
moris erat sed impressæ.

Zachon. 1505, fol. *** *Missale Herbipolense*, 1509,
nitidus liber. *Missale germanicum*, Basileæ
1518, fol. *Antonii de Gislandis opus aureum su-*
per Evangelii totius anni, cum octo millibus
dubiis exactissime declaratis, Lugduni, 1508,
fol. *Stella Clericorum* 1494, in 8. **** *Liber*
de vita & morte Aristotelis metricè conscripta,
cum glossa interlineali, in 8. ***** Ein schon
bewerts Lied von der reynen unbesleckten
Entpfengnuß Marie — Und dabey die
vor Histori von denn fier feheren prediger
ordens der observanz zu Bern inn Eydges-
nossen verbrannt / kurz noch der Geschicht
begriffen / in 8. ***** *Libri IV. de Imita-*

Bbb 2

tione

*** Nulla fit mentio huius edit. in Bibl. Lat. Viri
summi I. A. Fabricii, in fronte Iacobi Hugve-
tani Bibliopolæ Paris. nomen gerit, ac præ-
missa sunt epistolis alia opuscula.

**** Lit. B 1 hæc verba habentur: „Cum ergo,
tantæ dignitatis sit sacerdos, quod creator,
fit sui creatoris, & totius creaturæ, ipsum,
perdere vel damnare inconueniens est.”

***** Alia est hæc editio ab ea, qua Celeb.
Heumannus usus est, qui hoc Poëma recudi
curavit in Actis Philof. P. XV. confirmat ea
aliquot sagacissimi Critici emendationes.

***** Lit. A 11 in præfat. hæc leguntur: *Vin-*
dest

756 IV. Andr. Sam. Gesneri, Rect. Gymn. Rotenb.
tione Christi, qui, & in fronte & in calce,
nomen Ioh. Gerson, tanquam auctoris, præ-
ferunt. *Augustæ, 1488, per Erhardum Ratdolt,*
in 4. Cui bono, dicat fortasse aliquis, ista
obsoletorum librorum recensio, quos qui
legere vellet, oleum & operam perderet,
quosque adeo satius est æternis tenebris
damnare. Sed mitiorem sententiam pro-
nuntiabunt, qui sic existimant, ubi confi-
deraverint, non alio modo rectius nos de
toto rei litterariæ & ecclesiasticæ statu, qui
fuit, ante sacrorum a Luthero cœptam in-
stitutionem, posse cognoscere, quam si
illa ipsa monumenta, quorum auctores
odii & amoris, editiones vero corruptionis
aut interpolationis, suspicione carent, per-
otium inspiciamus, & illorum sæculorum
ingenia, mores, studia, virtutes, vitia, ce-
tera, oculis nostris quasi coram usurpemus,
quæ res magnam utilitatem simul ac volu-
ptatem adferre potest intelligentibus. Sed in
viam

dest du fleissiger Leser in diesen Büchlein ein
schöns Lied — das dir augenscheinliche und wort-
terschaft thut / wieder alle beslecker oder
beschr..... der reynigheit Marie. vid. Some
Letters — Written by G. Burnet. Rotterdam.
1687. p. 29 — 40.

enb. *Program. de memorabilibus Biblioth. Rotenb. 757*
ce, viam est redeundum. His quos enumera-
ræ- vimus, & horum similibus libris, constabat
dolt, Bibliothecæ nostræ rudimentum, cum Lu-
ista, therus scriptis suis omnium animos quasi e
qui somno excitaret, & eruditio nitidior in
ret, Germania faciem nancisceretur. Sequenti-
oris, bus temporibus, melioribus paullatim aucta
ro. est, ex quibus indicare quosdam instituti ra-
afi. tio iubet. Dignum est, quod primum in sce-
de nam producat, *Nov. Test. græcum*, cum ver-
qui sione & annotationibus primum ab *Erasmo*
in. 1516, in fol. editum, opus raritate comendabi-
fi. le, & Bibliothecæ ornamentum. Huic comi-
res tem damus *Novi Test. a B. Luthero nostro ger-*
nis *manice conversi editionem primam*, *Vitemb.*
bet 1522, in fol. editam, etsi eius nomen nus-
um quam appareat. eodem volumine contine-
ce- tur etiam prima *Pentateuchi editio germanica*,
us, quæ titulum Veteris Testamenti, & nomen
lu. Lutheri, in fronte gerit. nulla hic anni men-
in tio. in fine adiectæ sunt emendationes. Est
am etiam N. T. germ. cum Notis Hieronymi
— Emseri, Coloniae 1529, in fol. qui confecit,
ein vel compilavit potius, hanc translationem
ore iussu Georgii Saxoniae Ducis, & Schley-
bet niorum, Misenenensis & Merseburgensis Epi-
me scoporum, ut Lutheri versionem e manibus
m.

Bbb 3

homi.

hominum eriperet, cui &, quæ passim annotavit, sunt opposita. it. Biblia germanica Lutheri integra 1541. Vitemb. per Ioh. Lufft in fol. excusa. Sequatur iam turba promiscua. Lutheri *Auslegung der Episteln und Evangelien vom Advent bis auf den Sonntag nach Epiphanie.* Colmar 1523. fol. Quinquaginta circiter volumina in 4. *Miscellaneorum Theologicorum*, in quibus multa istius temporis scripta germanica, paucis fere plagulis constantia, insunt, quæ nunc rarioribus, & dignis, quæ curate asserventur, merito annumerantur. *Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Origenis, Theophylacti*, aliorumque Patrum, Ioh. Hussi, Lutheri, Brentii, Melancthonis, Urbani Rhegi, opera, in Tomos digesta, *Centuria* item *Magdeburgica*. Nec prætereundi libri haud ubivis obvii, quos *Primus Truber*, cuius præcipuæ in eo opere partes fuerunt, *Antonius Dalmata*, & *Stephanus Consul*, in Croaticum sermonem transtulerunt, & *Baronis Vagnadii*, aliorumque, sumtibus, annis 1562. & 1563. Tubingæ in 4. excudi curarunt, ut loci *Melancthonis*, litteris croaticis, tum & cyrulicis; *Augustana confessio*, cyrulicis, dein etiam glagolicis; *quatuor Evange-*
listæ

listæ & Acta Apostolorum, litteris glagolicis, cum præfat. germ. memorabilia quædam eius gentis pandente; *Brevis explicatio Evangeliorum dominicalium*, caractere croatico, & eadem cyrulico. * *Postilla Bohemica Ioh. Huss in Evangelia, & Iacobelli in Epistolas, 1564. fol. Postilla Sclavonica Mart. Lutheri, per Primum Truberum, Tubingæ, 1595. litteris latinis.* Maxima incrementa supellex nostra libraria cepit, nisi fallor, iis annis, quibus *Andreas Libavius & Elias Ehingerus* huic bonarum artium officinæ recens instauratæ, & in novum domicilium translata præfuerunt. Horum enim, ut arbitror, consiliis effectum est, ut veteres præcipui auctores græci, qui hætenus penitus exulasse videbantur, historici item nonnulli, & alia item rei scholasticæ necessaria compararentur. Inde nobis est *Homerus* cum enarrationibus *Eustathii*, edit. *Basil. Euripides, Xenophon,*

Bbb 4

phon,

* De litteris Cyrulicis & Glagolicis, vel Glagoliticis potius, vid. Ioh. Leonh. Frischii, Viri Cl. commentatio, de origine characteris Sclavonici, Berolini anno superiori edita. Litteræ croaticæ & glagoliticae eiusdem plane figuræ sunt.

phōn, *Isoocrates*, *Demosthenes*, *Lycophron*, *Polybius*,
Pausanias, *Thucydides*, *Sophocles*, *Plato*, *Apol-*
lonius Rhodius, *Plutarchus*, *Diogenes Laertius*,
 & hi sex postremi quidem ex officina *Henr.*
Stephani, *Strabo Casauboni*, & alii. Inde *Vrsti-*
sii, *Pistorii*, *Reuberi*, *Freheri* Scriptores rerum
 germanicarum, *Helmoldus*, *Albertus Kranzius*,
Aventinus, *Saxo Grammaticus*, *Bonfinius*, *Cro-*
merus, *Sabellicus*, *Annales Baronii*, *Zuvingeri*
Theatrum, *Gruteri inscriptiones*, & quæ pri-
 mo loco commemoranda fuere *Biblia regia*
Antvverpiensia, splendidum illud & sumtuo-
 sum opus, & alia, quæ enumerare longum
 est. Inciderunt deinde luctuosa illa cum
 toti Germaniæ, tum Civitati præsertim
 nostræ, tempora, quæ conticescere iube-
 bant Musas, & summa imis miscebant, ut,
 quod præclare coeptum erat, Bibliotheca
 ornandæ ditandæque opus, non solum in-
 terrumperetur, verum etiam multa volu-
 mina dissiparentur & interirent. Neque
 vero Prænobilissimus Reip. Senatus, ubi
 spes meliorum temporum redierat, omnem
 huius alumnae curam abiecit, sed idemti-
 dem ei benigne prospexit, ** neque dubium
 est

** Ex iis, quæ quarta hac periodo Bibliotheca
 nostræ

est ullum, quin, otium concedente, Deo Germaniæ perpetuum, etiam illa huius felicitatis aliquem perceptura fructum, & testimonio futura sit posteritati, nunquam refrixisse in urbe nostra litterarum amorem, sed semper fuisse, qui, pro insigni sua sapientia, foverent eas amplificarentque, ac nomen ea re suum æternæ consecrarent memoriæ. Ac huius adeo, dignissimæ sapientii Magistratu, curæ specimen his diebus

B b b 5 vidit,

nostræ illata sunt, ob raritatem memorabiles habentur, „ Hieronymi Vecchietti, de an- „ no primitivo mundi ad annum Iulianum „ accomodato, & temporum sacrorum ratio- „ ne libri octo. Augustæ Vindel. 1621. fol. mai. „ pontificia auctoritate proscripti, propter quos auctor multis annis in carcere detentus fuit. Vid. Iani Nicii Erythræi Pinacoth. P. I. p. 196. conf. Tho. Campanella de libris propriis & recta ratione studendi Syntagm. c. VI. art. 3. Iob. Ludolfus Comment. ad Hist. Æthiop. p. 20. Item „ Ph. Melanchthonis Lo- „ ci communes rerum theologicarum, seu hy- „ potypothes Theologicæ, „ quarum duas antiquissimas editiones nuperrime nacti sumus, primam videlicet, anni 1521, in 8, paucis eruditorum

vidit Lyceum nostrum, quibus solemni examine in profectus adolescentiæ scholasticæ inquisitum est, cuique die craftini, habendis orationibus, more recepto, finis est imponen-

ditorum visam, & iam Leonhardo Huttero desideratam, cui, quanquam cel. Hardtius eam recudi fecerit, tamen pretium suum constabit; & secundam, charactere minuitiori, itidem in 8, quæ inscribitur: Theologicæ hypotyposes, recognitæ ab Auctore. Wittenbergæ, nec anno, nec typographi nomine, expresso. Multa in ea, more suo, Melanchthon immutavit. Nec omittere hic possum, de quibus multi, sed pauci testes oculati, tradiderunt, „Andrææ Hyperii de „recte formando Theologiæ studio libros „III, primum Basileæ per Ioh. Oporinum 1556. in 8. impressos, deinde omisso Hyperii, alienoque præscripto nomine, reculos. Integer titulus sic habet: „De recte formando „studio theologico libri quatuor, ac de for- „mandis sacris concionibus libri tres, omnes „collecti & restituti, per fratrem Laurentium „a Villavincenzio. Xerezanum: Doctorem „Theologum: Augustanum Eremitam. Nunc „denuo diligentissime correcti & emendati, „cum indice rerum & verborum locupletissimo,

ponendus. VIR igitur SUMME REVERENDVS
& EXCELLENTISSIMVS DN. CHRISTOPHO-
RVS LVDOVICVS HARTMANNVS,
SS. TH. D. ECCLES. ROTENB. SVPERINT. CON-
SIST. & SCHOLARCHA LONGE GRAVISSIMVS, *de*
Targumim sermonem habebit. Nos de rei
litterariæ vicissitudine verba faciemus. De-
nique IOH. WILHELMVS FREY, Reip. Alu-
minus, merita *Caroli M. in rem ecclesiasticam*
& litterariam edisseret. Quem Actum ut
Generosi

„tissimo. Coloniae Agrippinae, apud hæredes
„Arnoldi Birckmanni, MDLXXV. cum
„gratia & privilegio S. Cæs. Mai. „ Sed
nostrum Exemplum, in quo tamen nullum
mutilationis indicium, non nisi III. priores
libros Hyperii de recte form. stud. theol.
continet, passim quidem, ut magis ad pa-
latum Romanensium essent, interpolatos,
omissis ceteris, quæ titulus promittit, item
dedicatione ac præfatione priore Hyperii.
Non alienis pennis superbire, sed pia fraude
suis prodesse voluisse videtur bonus ille fra-
ter Laurentius, cuius nomen nusquam nisi
in titulo comparet. Qui de hoc plagio, ut
existimatur, mentionem fecerunt, citan-
tur a Viro consummatissimo, I. F. Buddeo,
in *Isagoge Hist. Theol.* p. 13.

Generosi, Magnifici, & Prænobilissimi Reip.
Proceres, ceterique omnium ordinum, suis
quisque honoribus titulisque ornatissimi
præstantissimique Viri, & quidquid littera-
torum in urbe nostra est hominum, fre-
quenti conventu splendidiorum velint effi-
cere, ea, qua par est, observantia, peti-
mus atque contendimus. Rotenburgi ad
Tubarim P. P. d. VIII. April. clo lccc xxviii.

* * * * *

*Paucula verba ab ipso auctore in Progr. hoc
mutata, & p. 749. not. ** addita quedam es-
se, monere hic liceat, & pace V. Cl. exiguam
hanc observatiunculam adicere. Ad p. 754.
Caroli M. rariss. Homiliarium recensetur in
Seelenii Select. Liter. n. VII. p. 252. -- 297.
coll. I. D. Kæleri Comment. de Bibliotheca Ca-
roli M. Altorf. 1727. ed. §. VI. p. 14. sqq. ubi &
recensio Seeleniana omnibus aliis præfertur. Ad
p. 761. not. ** de Hier. Vecchiotti opere vid.
omnino Schelhornii Amæn. liter. T. III. p. 155.
sq. coll. T. IV. p. 562. Ad p. 762. sq. de Andr.
Hyperii libro conferri merentur Io. Tilemanni,
dicti Schenck, vitæ Prof. Theol. Marburg. p. 59.*

V. De

V.

DE

PROBI

COGNOMINE

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO ERNESTO,

DUCI SAXONIAE, IVLIACI,

CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA-

RIAE ET WESTPHALIAE,

RELIQVA

PATRIAE PATRI INDVLGEN-

TISSIMO,

IN POSTERVM, SI ITA VIDEATUR,

TRIBVENDO,

AD

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

DOMINVM

FRIDERICVM GOTTHILF

MARSCHALLVM,

DICTVM GREIF,

SVPREMVM AVLAE SAXO-VINA-

RIENSIS MARSCHALLVM ET CONSI-

LIVM PRINCIPEM

EPISTOLA

IO. MATTHIAE GESNERI.

VINARIAE, LITTERIS MUMBACHIANIS.